



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia
Sacrarum Literarum Primarij Professoris. Tractatvs De
Legibvs, Ac Deo Legislatore**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1619

Cap. XII. De obligatione legis veteris ante Christi mortem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94074](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94074)

CAPVT XII.

An lex vetus quoad obligationem mortua fuerit, seu cessauerit ante Christi Domini mortem.

HAtenus solum ostendimus, nunc esse mortuam legem veterem, nondum tamen declaratum est, quando primum abrogata fuit, delictumque. Nam licet ex probationibus adductis satis etiam constet, multis retro temporibus, & à principio nascentis Ecclesiæ Christi legem veterem mortuam fuisse, nondum tamen explicatum est in quo puncto, ac momento, vel tempore expirauit. Supponimus verò ante Christi aduentum in carne non fuisse mortuam, quia data fuit, donec veniret semen: de tribus ergo temporibus restat dubitatio, scilicet de tempore vitæ Christi Domini ante mortem eius, de instanti mortis eius, & de aliquo tempore post mortem eius, ideoque de singulis dicendum est. Habet autem locum hæc quæstio solum respectu Iudæorum, quibus lex illa data erat: nam respectu Gentilium, quibus nunquam fuit imposita, non oportet designare initium temporis, in quo illos non obligauit, quia nunquam eos obligauit, nec ante incarnationem Christi, neque post illam ante mortem eius, neque etiam in morte, vel post mortem ipsius, vt supra probatum est, & ideo diximus, respectu Gentilium non fuisse illam legem mortuam, sed potius nunquam fuisse viuam, vt sic dicam, quia ex quo lata fuit, illos non obligauit. Tota ergo quæstio circa obligationem Iudæorum versatur.

His ergo positis circa primum tempus est peculiaris opinio aliquorum scholasticorum, cessasse circuncisionis præceptum ante mortem Christi, nimirum, quam primum Baptismus institutus est, & efficaciam cepit habere conferendi gratiam. Ita tenet Scot. in 4. d. 3. q. 4. §. quantum ergo. Sequitur Gabr. d. 1. q. 4. a. 3. Fundamentum est, quia ex quo Baptismus cepit esse utilis ad iustitiam, cepit esse sub consilio; ergo ex tunc cepit circuncisio non esse sub præcepto; Baptismus autem utilitatem habuit ante mortem Christi paulò post initium Baptismi Ioannis, vt nunc supponimus; ergo. Prima consequentia patet, tum quia consilium rei perfectioris, & utilioris tollit præceptum inferioris rei, & minus perfectæ, tum etiam quia cum circuncisio iam non esset necessaria ad remissionem peccati originalis, non erat, cur sub necessitate præcepti post Baptismi utilitatem relinquere. Ex qua opinione sequitur totam illam legem cessasse quoad obligationem respectu omnium puerorum, qui post Baptismi institutionem ex Hebræis nascebantur. Quia lex illa non obligabat nisi circuncisos, ideoque circuncisio erat illius legis professio; ergo qui non tenebantur ad circuncisionem, nec ad totam legem obligabantur, simpliciter loquendo. Hæc tamen cessatio totius legis ex vi huius illationis non habet locum in parentibus, seu hominibus illius populi, qui iam erant adulti, & circuncisi tempore institutionis Baptismi; imò nec in parvulis potuit ad praxim reduci. Ratio prioris partis est, quia homines iam circuncisi poterant quidem liberari à præcepto (vt ita dicam) actiuo circuncisionis, id est, ab obligatione circuncidendi suos filios, non poterant autem eximi ab obligatione passiuâ, id est, recipiendi circuncisionem, quia iam erant circuncisi, & legem totam professi fuerant, & ideo non liberabantur à toto onere legis ex vi cessationis præcepti circuncisionis, prout ad illos pertinebat. Alterius verò partis ratio est, quia infantes nati in illo populo post institutionem Baptismi non poterant peruenire ad usum rationis ante mortem Christi, & ideo non poterant propriè eximi ab onere legis per carentiam circuncisionis, quia nondum erant capaces obligationis eius.

1. De tempore quo lex illa mortua fuerit.
Non fuit mortua ante Christi aduentum.
Triplex tempus in dubiū reuocari.

2. Sententia affirmans circuncisionem cessasse ante mortem Christi.

tempore posita est; ergo extra illud tempus, & extra illam communitatem omnino cessauit, & quoad obligationem, & quoad reliqua omnia, quæ illi adiungebantur in ordine ad implendam obligationem. Præterea in particulari de pœnis res est manifesta, vt bene attingit Castro dicto capite vltimo lib. primo de lege pœnal. tum quia pœnales, vt tales erant, non erant leges naturales, sed positivæ; omnes autè leges positivæ illius legis cessarunt, vt ostensum est, tum etiam quia leges pœnales, vt sic non erant morales, sed iudiciales; ergo cessarunt; ergo omnes illarum pœnarum comminationes nõ transcendunt statum illius legis, tum demiq; quia hac ratione (inter alias) dicitur lex gratiæ lex libertatis, quia non ita mouet terrore pœnarum temporalium, sicut lex vetus, & sic dicit Paul. 2. Corinth. 5. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas*; ergo lex gratiæ etiam liberauit nos à reatu, & comminatione legis, etiam vt moralis; ergo cessarunt illæ comminationes. Quomodo exponit sæpe Aug. illud, *Iusto non est lex posita*. Timoth. 1. vt latè supra lib. 1. tractauimus. De promissionibus autem temporalibus illius legis doctrina est communis, cessasse in lege noua, vt constat ex Aug. lib. 10. contra Faust. c. 2. vbi ait, *promissa carnalia non manere, & ab illis vocari vetus Testamentum*, & hac ratione in epist. 120. dicit, promissiones illas pertinuisse ad hominem veterem, non ad nouum. Idem significat lib. 16. de Ciuit. c. 11. & alijs locis.

Solum obijci potest, quia promissio illa addita quarto præcepto Decalogi, *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram*, Exod. 20. illa (inquam) temporalis fuit, & tamen etiam in nouo Testamento durat, vt sentit D. Tho. 2. 2. q. 102. a. 4. ad 4. ex Paulo, qui videtur id expressè asserere 1. Timot. 4. dicens, *Pietas ad omnia vtilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futura*. Et ad Ephes. 6. *Honora (inquit) patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram*. Respondeo promissionem illam, vt habetur in Exodo, fuisse planè temporalem, nam erat de terra promissionis, ita enim ibi additur, *Vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi*. Vbi adstringitur, & limitatur promissio ad terram promissionis, neque extra illam poterat ad literam impleri. Quare addo, promissionem illam vt merè temporalem nunc cessasse, durare autem quatenus in illa promissione figurabatur æternitas in terra viuendum, vt de alijs promissionibus temporalibus dicit Aug. in dicta epist. 120. & sæpe alibi. Atq; hoc significauit Paulus in vtroque loco: nam ad Ephes. aliquid addidit promissioni dicens prius, *Vt bene sit tibi*, & aliquid etiam abstulit, dicens absolute, *Et sis longæuus super terram*, non addendo determinationem, *quam Dominus Deus tuus daturus est tibi*, vbi Caiet. aduertit, duplex bonum promitti à Paulo. Primum est, *ipsum bonum*, quod ego intelligo præcipue de bono simpliciter, quod est bonum virtutis, & sanctitatis. Secundum est, *diuurnitas in bono habito*, quæ in hac vita cõfertur per perseverantiam in vita gratiæ, & in futura per gloriam ipsam. Ad Timoth. verò vtramque vitam coniunxit, præsentem, & futuram, quod aliqui cum partitione accommoda interpretantur, nunc non promitti longuitatem vitæ præsentis, nisi quatenus necessaria, vel utilis esse potest ad futuram, vel ad maiorem perfectionem eius, sub qua ratione promissio illa spiritualis est, & ita tandem illam explicuit D. Thom. citato loco.

Suarez de Legib.

Castro.
August.
31.
Obiect. contradiçta.
D. Thom.
Respons.
August.
Caietan.
Ad illud Timoth.
Salmeron.
D. Thom.

3. Probatur p̄ dicta sententia.

Aliunde verò probari potest vniuersaliter, totam illam legem, quoad obligationem, cessasse ante Christi mortem, primò ex illo Luc. 18. *Lex & Propheta vsq; ad Ioannem*: ergo saltem in baptisate Ioannis lex mortua est: Secundò, quia quoad aliqua saltem præcepta videtur antea extincta, quia multa mysteria Christi successu vitæ eius impleta fuerunt ante mortem, quæ tñ per plures cæremonias legis figurabatur vt futura: ergo præcepta de talibus cæremoniis ante mortem Christi cessarunt; aliàs vigerent præcepta de signis falsis exhibendis, quod repugnat.

4. Lex vetus vsque ad instantiam mortis Christi obligabat. D. Thom. Bonauent. Maior. Richard. Palud. Hieron. August. Ri. hard. de S. Vi. Bernard. Probatur primo.

Nihilominus dicendum est, ante Christi mortem legem veterem non fuisse mortuam quoad obligationem, ac subinde vsq; ad instantiam mortis Christi ad minimum obligasse. Est communis sententia Theologorum D. Thom. 1. 2. q. 103. a. 3. ad 1. Bonau. in 4. d. 3. 2. p. eius a. 2. q. 2. Maior q. 2. Rich. d. 1. a. 6. q. 4. Capr. q. 3. a. 3. ad 1. contra 1. conc. Palud. q. 6. a. 3. Durand. q. 9. & aliorum, quos inf. referemus, & in hoc videntur conuenire Hieron. August. Richard. de S. Vi. Bern. & alij, qui materiam hanc disputarunt. Potest que ostendi primò ex Euangelio, vbi sæpe legimus, Christum seruasse legem tam in infantia, quam in discursu vitæ vsq; ad mortem, paulò enim ante illam manducauit Pascha, & ita semper consueuisset facere ostendunt verba discipulorum, dicentium, *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Matth. 26. Quamuis n. ipse non subijceretur legi, tamen quia lex ipsa vigeat, & mysteria eius non erant cõpleta, tum propter exemplum, tum propter mysterium illam seruare voluit, iuxta id quod dixit Matth. 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Et ob eandem rationem illos docebat illam seruare, Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei, & c. quacumq; dixerint vobis, facite, quia nimirum durabat legis virtus & potestas Sacerdotum.* Sic etiam Luc. 17. misit leprosum, dicens, *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* & capit. 5. cum mundasset leprosum, eum similiter misit, vt ostenderet se sacerdoti, & addidit: *Et offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses.*

5. Probatur conclusi.

Secundò probatur clarè assertio ex ca. 9. ad Hebr. vbi prius dicitur, *In secundo* (id est, in Sancta Sanctorum) *semel in anno solus Pontifex* (scilicet ingrediebatur) *non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ignorantia: hoc significante Spiritu S. nondum esset propalata via Sanctorum, adhuc priora tabernaculo habebat statum.* Vnde è conuerso colligo, quoad non fuit propalata Sãctorum via, adhuc prius tabernaculum habuisse statum. Quamdiu a. tabernaculum illud suum statum habuit, etiã sacerdotium in suo statu durauit, & sacrificia ac cæremonia seruabatur, vsq; ad tempus correctionis impostæ, vt ibid. dicitur, vt q; per legem, ergo etiam tota lex durauit, quoad tabernaculum & sacerdotium suum statum habuit: nam hæc se comitatur, iuxta illud c. 7. *Translatio sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat: nam etiam è conuerso verum est translata lege, sacerdotium transferri, quia per legem stabilitur: ergo ante propalata Sanctorum via lex non fuit abrogata: Sanctorum autem via nõ est propalata ante Christi mortem, in cuius signum, Christo expirante, velum templi scissum est, vt Patres exponunt, & alibi diximus: ergo saltem vsq; ad instantiam mortis Christi, non fuit mortua lex vetus.*

6.

Vnde subiungit Paulus eodem loco, nouum Testamentum in morte Christi fuisse confirmatum, quod declarat, vim faciendo in Metaphora testamenti, dicens, *Vbi enim testamentum est, mors necesse est testatoris intercedat: testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioqui nondum vales, dum viuus, quæ testatus est.* Sicut ergo nouum Testamentum nõ fuit confirmatum, nec validum vsq; ad mortem Christi, ita nec primò fuit sublatum, quia, vt dixerat cap. 8. *Dicens nouum veteris prius, & c. 10. subdit, Aufert primum, vt secundum statuat, & in eodem cap. docet, non cessasse sacrificia vetera, donec Christus vna oblatione cõsummauit fan-*

disficatos. Quod significatum etiam est, quando Christus Dominus in Cruce dixit *Consummatum est*, vt interpretatur D. Thom. q. 103. a. 8. ad 2. & 3. p. q. 47. a. 2. ad 1. intelligendum est autem, vel in sensu mystico, vel confectione quadam; significando enim passionem suam esse consummatam, & redemptionem nostram fuisse impletam, consequenter significauit, legem veterem fuisse impletam: ergo ante illud tempus non fuit soluta, quia solui nõ debuit prius, quam esset plenè impleta. Ratio autem conclusionis patet ex sequenti.

Dico secundò: Omnia præcepta veteris legis sine vlla exceptione, ac subinde præceptum circuncisionis vsq; ad Christi mortem durarunt, & obligarunt sine mutatione, vel abrogatione. Hæc assertio est contra Scot. generaliter autem ponitur de omnibus præceptis illius legis, tum quia ead. est ratio de singulis, quæ est de ipso corpore legis, tum quia testimonia adducta absolute loquuntur, & non licet nobis excipere sine fundamento; tum denique quia si in aliquo liceret exceptio, maximè in circuncisione, quia eius præceptum non fuit ex lege, sed ante legem, licet cum lege, & in lege durauerit, sed præceptum circuncisionis non fuit ablatum ante Christi mortem; ergo. Probatur minor, primò ex communi sententia Theologorum, quos retuli, qui etiam loquuntur de circuncisione, & præsertim D. Thomas in 4. d. 3. art. 5. quæst. 3. Soto lib. 2. de Iust. quæst. 5. artic. 4. & bene Maior. dicit. quæst. 2. vbi allegat Glossam in Ioan. 3. & ad Hebr. 10. Secundò probatur, quia præceptum circuncisionis, vel fuit ablatum ante passionem per expressam reuocationem, & hoc non, quia nullibi inuenitur, nec de illo, nec de tota lege, vel per cessationem puram, & hoc etiam dici non potest, quia lex circuncisionis tam absolute lata est, sicut alia præcepta legis, & non est aliquis terminus durationis designatus pro præcepto circuncisionis distinctus à termino totius legis, & prior illo. Vbi etiam talis terminus fit mentio? Et ideo ad hanc cessationem, seu abrogationem impertinens est, quod præceptum circuncisionis ante legem datum sit, quia datum est cum eodem genere æternitatis, vt sic dicam, seu longæ durationis, item datum est, vt inchoatio legis, & vt permanentem cum illa, & incorporandum illi, & ideo vt duraturum vsque ad eundem terminum totius legis.

Vel abrogatum fuit illud præceptum per alitè illi repugnans, vel illud excludens, & hoc etiam est falsum, quia maximè per præceptum Baptismi, illud autem non fuit impositum hominibus ante Christi mortem, vt nunc supponimus: ergo. Dices, fuisse datum consilium. Respondeo, esto ita sit, poterat illud consilium acceptari, & executioni mandari, seruato simul circuncisionis præcepto. Sicut enim Iudeus circuncisus poterat ante Christi mortem baptizari ex consilio, non obstante circuncisione prius recepta, ita poterat simul circuncidere, & baptizare filium suum, ac subinde implere præceptum, & vri consilio. Quando autem consilium, & præceptum talia sunt, vt simul seruari possint, consilium non tollit præceptum, sed tunc solum, quando vtrumq; simul exequi repugnat, vt contingit in consilio castitatis, & matrimonio: nam si castitas est in consilio, rectè colligimus matrimonium pro tunc non esse in præcepto: scilicet verò est in presenti. Imò si quis rectè consideret, etiam tunc consilium non derogat præcepto, sed supponit non esse tunc tale præceptum, & ideo habet locum consilium: nam si supponatur casus, in quo præceptum obligat, nunquam poterit per consilium auferrì, quia non potest tale consilium habere locum, nisi prius supponatur, materia cum talibus circumstantijs, cum quibus præceptum non obligat.

Vel denique cessasset præceptum circuncisionis quali ex defectu materia, quia iam cessabat necessitas

D. Thom.

7. Omnia præcepta legis vsq; ad Christi mortem durarunt.

D. Thom. Soto. Maior. Gloss.

8. Probatur conclusi.

Obiect. Respons.

9. Probatur idem disjuncti.

SVARE 7
D. V. 3

tas illius remedij, baptizando paruulum. Et hoc etiam stare non potest, cum quia preceptum circumcissionis non fundabatur in hac necessitate, vnde Ioannes Baptista sanctificatus in vtero, ex precepto est circumcissus, & infans, qui propter periculum mortis remedio legis naturae sanctificari poterat ante octauum diem, nihilominus postea conualescens circumcidendus erat ex necessitate precepti. Quia licet non indigeret illa ut remedio peccati originalis, nihilominus necessaria erat ut professio illius legis. Etenim circumcisio data etiam est [et fortasse primario] ad consignandum populum Dei, & professores legis eius, & hic finis semper habuit locum, quando synagoga, & lex Moysi durauit. Item Iudaeus tenebatur suum filium primogenitum v.g. in templo praesentare, & circa illum reliquias legis Moysi caeremonias exercere, quarum capax non erat, nisi circumcissus, ergo necessaria erat tunc circumcisio illis paruulis tanquam ianua illius legis, & veluti capacitas ad sacramenta eius, & sacrificia: ergo haec erat sufficiens ratio, & necessitas durationis talis precepti.

Dicit aliquis, si ante Christi mortem Gentilis in Christum credens filium suum infantem baptizasset non teneretur postea applicare illi sacramentum legis naturae: ergo neque Iudaeus fidelis obligabatur in simili casu applicare sacramentum legis Moysi. Respondetur, negando consequentiam, quia in lege naturae non erat determinatio facta alicuius sacramenti, nec peculiare preceptum positum, praeter illud generale subueniendi filijs per aliquod remedium sufficiens, quale erat fidei applicatio, quocumque signo fieret, & ideo per Baptismum haec obligatio sufficiens implebatur. Imò iam non manebat paruulus capax noui sacramenti legis naturae, quia eo ipso, quod non erat primum, nullum erat. Secus verò est de circumcissione, quae in particulari erat precepta, non solum in remedium, sed etiam in signum, ut dixi & dari poterat, non obstante prioris sacramento, ut exemplis iam declaratum est. Atque ex hoc discursu solutum manet fundamentum Scoti. Idemque discursus facile applicari potest ad totam legem, & ad primam assertionem confirmandam. Quia etiam illa tota non est expresse reuocata ante mortem Christi, nec terminus illi appositus, fuit antea consummatus, nam cum dicitur, *Domine veni res semen*, intelligi debet de Christo consummato in ratione redemptoris, ut sic dicam, neque etiam tunc noua lex lata fuerat, quae aliam excluderet.

Vnde facile respondetur ad duas obiectiones vltimas, & generales. Quarum prior sumebatur ex verbis Christi Luc. 16. *Lex, & prophetae usque ad Ioannem*, circa quae considerandum est legem veterem simul fuisse legem obligantem, & prophetiam futurorum & pactum continens promissiones temporales, & magistram morum. Ibi ergo non tractat Christus de lege ut lex est obligans, sed sub alijs rationibus, & praesertim ut docebat minus perfecta, & promittebat temporalia bona. Nam quia Pharisei Christum irridebant, eo quod doceret contemptum diuitiarum, & reprehenderet nimium affectum lucrandi temporales diuitias, quia in hoc videbatur à lege discordare promittente temporalia: ideo dixit, illam doctrinam legis, & Prophetarum fuisse accommodatam prioribus temporibus usque ad Ioannem, *Ex eo verò*, (ait) *regnum Dei euangelizatur*, &c. Ita ferè Theophylact. ibi, quem sequitur Iansen. cap. 95. Concord. & consonat Matth. cap. 11. qui clarius dixit, *Omnes Prophetae, & lex usque ad Ioannem prophetauerunt*. Nam sub verbo, *prophetae auerunt*, tam praedictiones futurorum, quam promissiones, & tota instructio legis intelligi possunt, & omnia ad intentionem Christi sunt accommodata. Quia sensus praecipuus est, totam doctrinam legis, & Prophetarum ad tempus Messiae fuisse ordinatam, & in illo suum complementum recepisse & hoc à praedicatione Ioannis maxime sumpsisse ini-

rium. Licet in loco Matthaei magis videatur Christus Dominus loqui de lege, & Prophetis, ut praedictibus futura, ut ibi Hieronymus, & Chrysofost. exponunt, vel ut tradentibus moralem doctrinam infirmo statui accommodatam, ut etiam videntur sentire Theophyl. Matth. 11. & Iansen. cap. 47. Concord. Vt etiam verò addere possumus, etiam si verba illa de lege ut praecipiente intelligerentur, ex illis non colligi legem illam fuisse mortuam à tempore Ioannis, sed quia aegrotare tunc coepit, non multo post mortem Christi moritura, ideo usque ad Ioannem fuisse dicitur, ut dixit Maldonat. Matthaei quinto, vers. decimo septimo in fine.

Ad posteriorem obiectionem respondetur in primis, si alicuius esset momenti, non solum probare legem fuisse mortuam, sed etiam mortiferam ante Christi mortem, quia colere Deum falsis signis intrinsecè malum est. Vnde necessario dicendum est illa non fuisse signa falsa eo tempore, quia vel non sumebantur ut signa talium mysteriorum, quae iam erant impleta, sed secundum alias significationes veras, quae nunquam deerant: nam circumcisio semper significare potuit spirituales circumcissionem, vel resurrectionem, ut Cyprian. epistola quinquegesima nona, dixit, vel non sumebantur ut significancia mysterium cum habitudine ad tempus futurum, sed secundum se. De qua re plura dicemus cap. decimo quarto, & 16.

CAPVT XIII.

An lex vetus cessauerit quoad obligationem in morte, vel resurrectione Christi, vel ante diem Pentecostes.

EXcluso illo primo tempore, dicendum est de secundo, sub quo comprehendimus tum instantis mortis Christi, tum reliquum tempus usque ad diem Pentecostes, quia ex resolutione prioris puncti facile de reliquo tempore constabit. In primo ergo multorum sententia est, in puncto mortis Christi fuisse mortuam legem veterem quoad obligationem. Haec videtur esse opinio D. Thom. in 4. dist. 1. quaest. 2. artic. 5. quaest. iunc. 3. & aliorum auctorum, quos retuli in capite praeced. & Marfil. in 4. quaest. 2. art. 1. p. 4. Ad quaest. 1. in princip. tribui etiam solet August. & Hieronym. sed nihil tale docuerunt, ut infra ostendam. Suaderi autem potest primo omnibus re-
s. 1.
Primasententia affirmans in puncto mortis Christi mortuam fuisse legem veterem.
D. Thom. Marfil. Adriani.

Et confirmatur primo ex 8. & 9. ad Hebraeos. vbi ex similitudine testamenti probatur. Testamentum nouum non fuisse confirmatum usque ad mortem Christi: nam eodem exemplo probatur, fuisse confirmatum in ipsa morte, ergo tunc etiam est reuocatum Testamentum vetus: ergo & lex. Similiter confirmatur secundo ex 7. ad Romanos. vbi per similitudinem matrimonij duratio legis declaratur. Nam sicut viuente viro, mulier subiecta est legi, ita viro mortuo liberatur à lege ipsius, ergo similiter ex sententia Pauli, mortuo Christo, liberata est synagoga à legis obligatione. Confirmatur tandem, quia ab instanti